

Universitäts- und Landesbibliothek Tirol

**Hieronymi Cardani, praestantissimi mathematici,
philosophi, ac medici Artis magnae, sive de regvlis
algebraicis, lib. unus**

Cardano, Geronimo

Norimbergae [Nürnberg], 1545

Einleitung

HIERONYMVS

CARDANVS MEDICVS ANDREÆ

Osiandro uiro eruditiss. S. P. D.



Nihil tam animo unquam uersaui, Andrea doctiss. quam ut eorum, qui de bonis literis bene merentur, nomina posteritati commendarem. Tum uero precipuam quandam diligentiam adieci, si tales cum eruditione humanitatem coniunxissent. Quam obrem cum te non solum Hebræarum, Græcarum, ac Latinarum literarum scientiam haud mediocrem, sed etiam Mathematicarum habere intelligam, humanissimum quoque semper expertus sim, uisum est, hoc meum opus, nulli melius posse dedicari, quam tibi, à quo possit & emendari, (si manus mea imperium mentis transgressa fefellisset) & legi cum uoluptate, & intelligi, tum uero etiam cum authoritate commendari. Hoc exemplum, nisi fallor, & alij sequentur, ac opera sua, non nisi in ea quam tractant arte eruditiss. dedicabunt. Accipe ergo amoris erga te mei, & officij in me tui, tum præclaræ simul eruditionis tuæ perpetuum testimonium. Et quantum tu talis sis, quem tua uirtus omnibus notum faciat, tamen cum Alexander, & Cæsar, factis suis notissimi, aliorum monumentis inscribi desiderauerint, cumque Plato, qui mira illa per sese conderet, aliorum tamen scriptis laudari concupiuerit, spero meum hoc qualecunque officium tibi quoque non ingratum esse futurum, quod & in his fortuna quædam dominetur, pereantque meliora sæpe, seruatiss. deterioribus. Et sit modo de hoc quælibet iudicium tuum, certum mihi tamen est, officio meo me satisfacere debere. Atque utinam contingat illustriore exemplo, animum meum erga omnes ostendere, qui eo animi candore sunt, quo te in studiosos nostri temporis fuisse semper agnouiss.

Sed dabitur forsan occasio melior, etsi non detur, hanc tamen, quælibet sit, perisse mihi nolim. Vale. v. Idus Ianuarias. M. D. XLV. Papiæ.